

tutionis obliti, contra ordinis vestri regulam, villas, Ecclesias, et altaria possident, fidelitates et hominia benigne suscipiunt, justitias, et tributarias tenent, etc.

5. *Quale fuerit aut nunc sit Cisterciensium professio.*—Ex quibus verbis et ex historiis supra citatis intelligi potest, religionem hanc a principio fuisse fundatam in speciali professione paupertatis; nam etiam mendicasse referuntur tempore Stephani Abbatis. Re tamen vera nunquam sunt professi mendicitatem aut paupertatem in communi, sed solum ex regula statuebant abstinere ab aliquibus modis seu generibus immobilium honorum, vel ecclesiasticorum reddituum, quibus possent vel temporalibus curis distrahi, vel ministeriis a sua professione alienis occupari. Unde Vincentius et Antoninus referunt fecisse declarationem seu constitutionem auctoritate Apostolica confirmatam, abdicandi ecclesias, altaria, oblationes, et decimas, et sepulturas aliorum hominum, et furnos, et molendina, et villas, et rusticos. Tantum ergo hujusmodi honorum genera abdicarunt; imo inferius, reddendo rationem ob quam a decimarum perceptione abstinere, dicitur, decimas a sanctis Patribus in quatuor partes esse distributas; unam Episcopo, aliam clero, tertiam pauperibus, quartam fabricæ, et ideo usurpare decimas detrectabant, quia in nullo illorum membrorum comprehendere monachum existimabant; quia monachus (dicitur ibi) terras suas possidet, unde et per se, et per pecora sua laborando vivat. Nomine autem monachi ibi monasterium intelligo; singuli enim monachi per se nihil possidere poterant, monasterium autem habere poterat possessiones et pecora, atque adeo bona immobilia et semoventia, ex quibus monachi alerentur. Igitur majorem quidem paupertatem professus est ordo Cisterciensis in principio, quam reliqui sectatores S. Benedicti atque etiam Cluniacenses servarent, non tamen omnino erat incapax possessionum seu immobilium honorum. Et ideo Alexander III, in d. cap. *Dolentes*, cum limitatione dixit: *Relictis possessionibus, vel etiam commutatis, quas institutio vestra non recipit.* In illo vero genere possessionum eam moderationem observasse videtur, ut monachi ipsi suis manibus laborarent, et terram colerent; quod dictis verbis satis significatur, et expressis a Bernardo in dict. epist. 1, ibi: *Jejunia, vigiliis, silentium, manuumque laborem vocat insaniam*; et infra: *Qualis vero religio est fodere terram, sylvam*

*excidere, stercorea comportare?* In his ergo laboribus exercebantur tunc monachi Cistercienses, etiamsi contemplativam vitam maxime profiterentur, et illo modo paupertatem simul, humilitatem et austeritatem conjungebant, etiamsi bona et possessiones suo statui accommodata non recusarent. Atque in hujusmodi observantiis et constitutionibus simul cum exteriori habitu distincta fuit hæc religio ab aliis familiis S. Benedicti. Et ita etiam proprium habuit regimen, proprios Prælatos, et Congregationes seu Capitula, et totius religionis supremum regularem Prælatum. Pro distinctione enim harum religionum seu familiarum maxime oportet advertere, cum D. Benedictus quasi sedem suam in monte Casino collocaverit, quamdiu ejus religio omnino una et unita permansit, singula monasteria ita fuisse suis Abbatibus subjecta, ut aliquo modo reliqui Abbates videantur fuisse subordinati Abbati Cassinensi; quanquam si hoc intelligatur de subordinatione quoad aliquam jurisdictionem, neque in jure, neque in historiis satis expressum invenitur. Interdum tamen scriptum reperio, Odonem fundatorem Cluniacensium, se suamque familiam ab obedientia Cassinensis Abbatis exemisse, ideoque quasi novum ordinem erexisse. Sic ergo Cisterciense monasterium ab aliis separatum fuit, et quasi nova suprema Abbatia in eo inchoata est, sub qua reliqua monasteria illius ordinis erigebantur, et juxta suas constitutiones et privilegia gubernabantur, et usque hodie gubernantur, quamvis in hoc magna mutatio in diversis regnis et provinciis facta fuerit, quam nunc explicare ad nos non pertinet.

6. *Quis et quantus D. Bernardus in ordine Cisterciensi.*—Hinc vero obiter conjector, D. Bernardum non solum non fuisse institutorem illius ordinis, verum etiam neque unquam fuisse supremum Prælatum illius; nunquam enim fuit Cisterciensis Abbas, sed tantum Claravallensis, cujus monasterii et fundator, et primus ac perpetuus Abbas, quamdiu vixit, fuit; monasterium autem Claravallense a Cisterciensi ortum habuit. Nam illius Abbas, Stephanus, triennio postquam Bernardum in monachum receperat, illum cum aliis monachis ad fundandum monasterium misit, quod postea Clara vallis vocatum est, eique in Abbatem Bernardum præfecit, qui semper ibi perseveravit; constat autem Abbatem Claravallensem ex vi suæ dignitatis nunquam fuisse aliis superiorem; nunquam

ergo Bernardus universalem prælationem in suo ordine habuit, neque enim alicubi legimus per specialem electionem aut concessionem ei fuisse aliquando datam. Neque hoc minuit Bernardi auctoritatem, sed auget potius, tantæ enim fuit inter suos æstimationis, ut cum ratione jurisdictionis universalis Prælatum non esset, nihilominus ut communis parens ab omnibus habitus sit, propter eximiam ejus sanctitatem, et religiosam ac spiritualem doctrinam; et quia revera fuit fundator plurimum, ac fere omnium monasteriorum illius ordinis. De quo hæc dixisse sufficiat; nam reliqua, quæ scholastica sunt, et propria nostri instituti, non requirunt specialem doctrinam, sed applicationem ejus, quæ generalim data est.

7. *De Camaldulensi ordine, qui etiam a Benedictino derivatur nonnihil distinguitur.*—Et ob eandem causam nihil fere dicam de multis aliis religionibus monachalibus regulam S. Benedicti profitentibus, et quæ ab illa per nonnullas accidentales mutationes dimanant; in omnibus enim est idem vitæ institutum, et earum diversitas in paucis ritibus seu constitutionibus consistit, quæ ab uniuscujusque professoribus seiri debent, si talis professio durat, nonnullæ enim jam extinctæ sunt, et aliæ rara habent monasteria. Itaque in hoc ordine ponimus congregationem Camaldulensem, quæ in Italia paucos quidem habet conventus, magnæ tamen religionis et æstimationis, cœpitque anno 967, auctore S. Romualdo, quamvis ipso vivente a reliqua familia S. Benedicti quoad obedientiam et unionem separata non fuerit, sed solum quoad habitationis modum, et quoad silentium, jejunia, et alias asperitates, ob quas tandem auctoritate Alexandri II, familia Camaldulensis approbata est, et separata a reliquo ordine S. Benedicti; quia tanta diversitas non poterat commode in eodem corpore, et sub eodem regimine conservari. Nam Camaldulenses non utuntur communi habitatione ad dormiendum, vel ordinarie comedendum, sed singuli cellas habent quasi domos separatas, et solum dominicis ac festis diebus ad divina officia conveniunt, et duodecies tantum in anno simul cibum sumunt; reliquo autem tempore solitariam vitam et silentium servant, et orationi ac lectioni, vel labori manuum dant operam. Itaque Carthusianis simillimi sunt, et colore etiam albo utuntur, et a carnibus abstinent, quamvis non tempore morbi, ut Carthusiani.

8. *De alio ordine Vallis umbrosæ, etiam derivato ex Benedictino.*—Alius ordo post Camaldulensem ortus fuit, qui Vallis umbrosæ dicitur. Ejusque auctor fuit S. Joannes Gualbertus, qui prius fuit monachus Cluniacensis ordinis in conventu S. Miniatis; postea vero ad Camaldulenses pervenit, non tamen eorum institutum professus est, quia cœnobiticam vitam potius quam eremiticam affectabat, ut historiæ referunt; ideoque postquam per aliquot dies Camaldulensium mores et vitam est contemplatus, inde discessit<sup>1</sup>, et cum aliquibus sociis in loco commodo, *Vallis umbrosa* nominato, monasterium S. Benedicti erexit, propriis quibusdam austerioris vitæ observantiis et constitutionibus ad perfectiorem regulæ custodiam adjunctis. Præcipue vero in clausuræ observatione religio hæc in principio excelluit; habitus vero illius idem fere est, qui S. Benedicti, in colore tamen aliquantulum diversus, quamvis non sit albus, sed medi coloris. Atque huic etiam ordinem approbavit Alexander II, anno 1070, quamvis in hoc annorum numero nonnulla sit in auctoribus diversitas.

9. *De quibusdam aliis similiter derivatis.*—Atque eodem fere tempore, post quinque aut sex annos, instituta est alia familia ejusdem ordinis et regulæ S. Benedicti, opera quorundam virorum nobilium Mediolanensium, qui dictus est ordo Humiliatorum, et ab Innocentio III tandem confirmatus est, postea vero a Pio V omnino fuit sublatus, et ideo de illo plura dicere necesse non est. Sunt etiam qui in hoc ordine ponant ordinem Grandimontensem; sed non invenio hujus rei sufficiens fundamentum, ut sequenti capite dicam. Præterea, ordo Cœlestinorum, Guilielmitarum, qui alio nomine Montis Virginis appellatur, et ordo montis Oliveti, ac denique ordo Sylvestrinorum, qui omnes in Italia vigent, et sub distinctis Generalibus seu primariis Abbatibus militant, Benedictinæ regulæ sunt, et fere ejusdem religionis; et sicut de aliis dictum est, solum in aliquibus observantiis, et aliquantulum in habitu differunt. Circa eorum autem originem, et progressum nihil peculiare ad nostrum institutum pertinens occurrit; et ideo legi possunt historiæ, quæ de illis fusius tractant.

<sup>1</sup> Anton., 2 p., tit. 15, c. 15; Surius, tom. 4.

## CAPUT IV.

AN ORDO CARTHUSIENSIS SIT PERFECTA MONACHORUM RELIGIO? DEQUE EJUS ORIGINE ET OBSERVANTIA.

1. *Origo Carthusiensis ordinis.*—De tribus vel quatuor aliis monachorum ordinibus possumus hoc loco brevem mentionem facere. Primus est Carthusiensis ordo, qui inter monachales omnes arctior reputatur, tum ex institutione, tum ex perseverantia in illa, quia de suo primo rigore minus remisit. Cœpit autem hic ordo anno Domini 1084, juxta Sigisbertum, in Chronico, ubi sic inquit: *Bruno, natione Theutonicus ex urbe Colonia, litteris apprime eruditus, Rhemensis Ecclesie canonicus, et scholarum magister, relicto seculo, eremum Carthusiæ fundat, propositumque monasticæ conversationis satis arduum instituit.* Idem referunt Anton., 2 p., tit. 15, c. 22, et late Surius, tom. 5, die 6 Octobris; Dionysius Carthus., opusculo de Laudibus ordinis Carthusiani. Apud quos legitur tremendum exemplum, quod Brunum et sectatores ejus excitavit ad illud vitæ genus assumendum, quod omitto, quia satis vulgatum est. Non fuit autem hic ordo institutus sub aliqua ex antiquioribus regulis; nec referunt dicti auctores quænam statuta vel constitutiones ab ipso B. Bruno a principio habuerit, sed solum ædificasse in illa solitudine Carthusiæ Ecclesiam, et non procul ab illa cellulas inter se aliquantulum separatas, ne alter alterius quietem et solitudinem perturbaret.

2. *Quod ejus institutum.*—Unde constat institutum illud ab initio fuisse maxime contemplativum, et proxime accedens ad solitariam, seu eremiticam vitam, quamvis de cœnobitica multum semper participaverit. Subjungit autem Surius hæc verba: *Atque in iis singulis cellulis bini fratres degebant, et quemadmodum prisci illi Ægyptii monachi silentio, orationi, lectioni, cordis puritati, et rerum divinarum contemplationi vacabant; certis etiam horis operi manuum, præsertim conscribendis libris incumbentes, tum ut suæ inopiæ consulerent, tum etiam ut ne quam darent occasionem illis, qui quærunt occasionem sanctum eorum institutum calumniandi, quod nullam Ecclesie Dei nocerent operam, sed suis duntaxat rebus studerent.* Et inferius subdit, quod, licet precibus, et vitæ puritate ac innocentia multum possent Ecclesiam Dei juvare, tamen

*sanctissimi patres nostri (inquit), qui Carthusiane vitæ prima jecere fundamenta, nihil tale sibi tribuentes, libris scribendis etiam operam dare studuerunt, et ut sui successores id facerent hortati sunt, ut saltem manibus verbum Dei prædicarent, quando ore non possunt; sic enim (ait) loquuntur statuta Patrum antiquorum.* Unde constat illud institutum quoad substantiam et finem ejus, idem esse cum instituto antiquorum monachorum, principaliter quidem contemplativum, cum ea mixtione alicujus externi laboris, vel operis manuum, quæ ad levandum fastidium et vitandum otium sufficiat. Nam quod hæc opera externa cedant in spiritualem utilitatem proximorum, accidentarium est ad finem illius instituti, in quo etiam per se non est studium litterarum; quando vero contigerit aliquem doctum et eruditum profiteri illam religionem, tunc maxime locum habet, quod Surius ait, non repugnare, imo esse consentaneum perfectioni illius instituti, actionem aliquam seu scriptionem proximo utilem efficere, eo tempore quo alias operi manuum vacandum esset; nam quo actio illa fuerit perfectior, et ex majori charitate, eo erit magis consentanea tali instituto, non tam ex speciali ratione sui, quam ex generali, faciendi quod melius est.

3. *Distinctio ejus ab aliis monachalibus, præsertim abstinentia a carnibus.*—Differt autem hæc religio a cæteris institutis monachorum in propriis constitutionibus et observantiis, quæ ut verisimile est, ab ipso S. Bruno inchoatæ fuerunt, et postea, discursu temporis, per Prælatos et generalia Capitula perfectæ et consummatæ sunt. Inter quas nonnullæ sunt graviores, et specialiter adnotandæ, quia vel nonnullam difficultatem habent, vel singularem rigorem et observantiam ostendunt. Prima est de abstinentia carnibus, quæ tanta integritate observatur, ut propter nullam causam vel necessitatem, etiam extremam mortis vitandæ, hanc legem transgrediantur; quod an licite facere possint, a Theologis dubitatum est. Quia est contra obligationem naturalem, quam homo habet conservandi vitam, contra quam nulla lex positiva, præsertim humana, obligare potest; imo nec votum jejunandi, vel abstinendi cum tali circumstantia videtur posse obligare, imo nec servari, quia est in discretum, et in detrimentum vitæ, quæ non est hominis, sed Dei.

4. *Primus casus in quo non licet Carthusiano monacho abstinere a carnibus.*—Circa hoc er-

go duo casus distinguendi sunt. Unus est, quando extrema necessitas oritur ex defectu alterius cibi, ita ut sit certum periculum moriendi fame, nisi carnes comedantur; alius est, quando tantum est ordinarium periculum ægritudinis, et medicus judicat esse moraliter necessarium esum carnis ad resistendum ægritudini. In priori casu, censeo non esse licitum servare tale statutum, propter rationes factas; et quia in eo casu talis abstinentia nullam habet rationem virtutis; quia neque ad proprium personale bonum talis abstinentia ad aliquid utilis est, neque ad aliquod bonum commune. Quod enim emolumentum proveniet religioni, ex eo quod religiosus moriatur, ne carnes comedat? Dices: ipsamet inviolabilis observatio legis est magnum bonum commune; sicut Machabæi dederunt vitam, ne comedendo carnem suillam, legem violarent. Respondetur: si lex humana præcipere expresse non comedere carnes etiam in eo casu, iniqua esset et irrationabilis, quia esset legi naturæ, et charitati contraria, et sine necessitate præciperet prodigere vitam. Unde, quando constitutio simpliciter fertur, non comprehendit casum illum, ideoque tunc abstinere a carnibus non esset servare legem, sed agere contra animam ejus, quæ est charitas. Exemplum autem Machabæorum non est ad rem; quia in illo non erat necessitas naturalis (ut sic dicam) et intrinseca, sed erat violentia in contemptum religionis illius temporis; in quo casu prodigenda est vita, non per se propter abstinentiam, sed propter confessionem fidei, et honorem religionis. Sicut nunc etiam in extrema necessitate ob defectum aliorum ciborum potest et debet Christianus comedere carnes feria sexta; si tamen a tyranno cogeretur in contemptum religionis et ecclesiastici præcepti, nec deberet, nec posset, quia consentiret errori ejus.

5. *Secundus casus, in quo licet etiam cum periculo vitæ.*—In posteriori autem casu, licitum esse existimo observare inviolabiliter illam abstinentiam, non obstante ægritudinis periculo, aut necessitate. Ratio est, quia talis abstinentia potest pertinere ad magnum commune bonum illius religionis, ne illa occasione aperiat via relaxandi sanctam illam observantiam in tali religione. Nam, ordinarie ac regulariter loquendo, esus carniæ non est adeo necessarius ægrotantibus, etiam cum periculo mortis, ut, si omittatur, physice, aut moraliter fiat inevitabilis mors; quia ordina-

rie sunt alii cibi, et alia media quibus possit vita, etiam in illo statu, conservari sine læsione, quantum est ex parte cibi. Quamvis ergo in aliquo casu possit necessitas esse major, et vita periclitari abstinendo a carnibus, nihilominus si ea occasione permittatur, necessarium erit arbitrio medicorum talem dispensationem relinquere, atque ita facile fieret extensio ad plures alios casus non adeo necessarios; hoc ergo ne irrepat, potest esse sufficiens et rationabile motivum, absolute et indifferenter abstinendi a carnibus, etiam in simili periculo, non obstante medicorum judicio, nisi contingat cum hoc secundo casu conjungi priorem. Ut si ægrotus nullo modo valeat aliis cibis uti, sive ob penuriam, sive ob conditionem ægritudinis; nam tunc fame potius quam ægritudine mori sineretur. Atque ita huic quæstioni respondent Gerson, proprio tractatu de hac re, alphab. 39, lit. E; Major, in 4, d. 38, q. 24; Martinus de Magistris, q. de Abstinentia, et melius Victoria, in Relectione de Temperantia, num. 8. et sequentibus, qui, licet in principio sit dubius, et in utramque partem proponat argumenta, tandem in hanc resolutionem inclinat.

6. *De observantia clausuræ eorumdem Carthusiensium.*—*Privilegium transeundi ad Carthusiam ob clausuram datum maxime.*—Alia ex præcipuis observantiis Carthusianorum est perpetua clausura, de qua inquit Navarrus, Comment. 4, de Regul., num. 30, in hunc modum: *Hanc legem clausuræ jure communi statutam, aut confirmatam Carthusiani partim statutis, partim consuetudine inviolabiliter observata adeo auverunt, ut eorum clausura videatur quidam carcer perpetuus.* Et ibidem refert particulares constitutiones ejusdem ordinis circa hujusmodi clausuram, quæ in summa continent primo, quod Prior Carthusiæ, scilicet Generalis, nunquam terminos sui eremi egreditur; alii vero exire possunt cum licentia Prioris Generalis, et non aliter; quamvis ex quo incipiunt esse Priores, usque ad Capitulum generale, possint septies exire pro utilitate domus, et in curias etiam Prælatorum aut principum, ad necessaria negotia tractanda. Alii vero privati monachi nunquam egrediuntur, nisi de licentia Prioris Generalis, et necessitate urgente, vel nisi mittantur ad suscipiendos Ordines, vel ad habitandum in alio monasterio sui ordinis, vel nisi eligantur in Superiores, Visitatores, vel ut eant ad Capitulum generale; vel nisi necessitas belli aut alia similis eos cogat; ac denique mitti etiam

possunt ad grangias seu villas sui conventus, ex 3 part. statutorum antiquorum, § 11. Potest etiam in hac clausura considerari, quod fere majori parte temporis debent juxta constitutiones suas intra cellam manere: possunt tamen intra suam clausuram statutis temporibus exire; extra clausuram autem et intra terminos sui eremi egrediuntur semel aut bis in hebdomada, non tamen privatim, sed communiter cum conventu, animi relaxandi gratia, cum mensura tamen, et religioso modo in suis constitutionibus præfixo. Unde constat ordinem hunc perfectam satis et rigorosam clausuram servare. Existimoque ratione illius obtinuisse religionem hanc inter alias prærogativam, ut ab omnibus aliis transitus ad illam liceat jure communi, in extravag. *Viam ambitiosæ*, de Regular., et fere juxta omnia privilegia religionum; nam hoc factum videtur propter majorem securitatem, quæ, moraliter loquendo, et quantum humano modo judicari potest, major est, ubi tanta clausura et separatio a conversatione secularium servatur; præsertim cum conjuncta sit cum tanta vitæ austeritate, et jugi divinarum rerum contemplatione. Quæ omnia sunt etiam aptissima media ad magnam perfectionem consequendam.

7. *Qui putent ex vi juris communis licere etiam transitum a Carthusia ad aliquam religionem.* — Aliqui vero contendunt licitum esse, quantum est ex vi juris communis, transitum a Carthusiensi ad aliquem alium ordinem, ut jam in præcedenti tractatu, lib 3, c. 9, a numero decimo quarto, attingi. Ita censent religiosi Prædicatores in suis constitutionibus, dist. 1, c. 13, § 4, cum declaratione; et Sylvester, verb. *Religio*, 4, q. 6, refert fuisse Parisiis declaratum, et Navar., cons. 68, de Regularib., juxta primam impressionem, quæstionem movens de transitu Carthusiani ad Minores, dicit, in foro conscientie posse fieri, si bona intentione, sine scandalo, cum debitis circumstantiis fiat. Quia, licet jus concedat transitum a mendicantibus ad Carthusianos, non tamen prohibet e converso transitum Carthusiani ad mendicantes; et alioquin dictæ religiones mendicantes reputantur a suis professoribus, et strictiores, et perfectiores aliis, etiam Carthusia, ut de sua expresse dicunt Prædicatores in citato loco suarum Constitutionum, et de sua sensit S. Bonaventura, in Quæstionibus circa suam regulam, q. 13, et late Corduba, super regulam S. Francisci, c. 2, q. 17; et senserunt aliqui canonistæ, ut

intelligi potest ex Joanne Andrea, et Panormitano, in cap. *Non est*, de Regular.

8. *Auctoris judicium.* — Sed ego in hoc opere decrevi religiones inter se non comparare, sed omnes venerari, et singulis tribuere quod jure illis concessum est. Ordini ergo Carthusiæ hoc concessum invenio, ut ad ipsam liceat transire a mendicantibus. Quod autem ab ipsa ad mendicantes liceat transitus, scriptum non invenio in jure, neque in aliquo privilegio specialiter concessio. Dare autem hanc licentiam per illam generalem regulam juris, quod *transitus ad arctiorem religionem est licitus*, non videtur mihi tutum, quia jus concedens transitum ad Carthusiam videtur supponere illam esse arctiorem, vel saltem æqualem in arctitudine, et securiorem; tunc etiam quia si transire ad Carthusiam non est retro respicere, ut etiam supponit illud jus, ergo transire a Carthusia ad alias, vel est retrocedere, vel certe non est ulterius progredi; ergo non licet sine speciali concessione. Tum etiam quia videtur nimis ausus hanc licentiam dare propter solum privatum judicium de excellentia alterius religionis, præsertim in causa propria. Unde Navarrus, dict. Comment. 3, de Regular., num. 32, concludit a Carthusia ad nullam aliam religionem transiri; et Major, in 4, d. 38, q. 13, dixit, nullam inter religiones omnes Carthusiam in bonitate et securitate excedere; quam assertionem prosequitur et declarat late, et cum non positive, sed negative comparationem faciat, tolerari potest. Navarrus vero, cons. 10, de Regular., in prima impressione, absolute ait Carthusianos notabiliter esse austeriores mendicantibus, etiam Minimis, quos cæteris in austeritate præfert. Quæ comparationes verum habent quoad aliquas austeritates exteriores, simpliciter autem privatum judicium dare difficile est.

9. *De approbatione hujus religionis.* — *Quid de viris in hac religione insignibus.* — Ultimo ex dictis constat, satis multumque esse religionem hanc ab Ecclesia approbatam; quando vero hæc approbatio cœperit, interrogari potest. Refert enim Gerson, part. 2, alphab. 39, lit. D, quosdam objecisse ordini Carthusiensium, quod confirmatus non esset; ad quam ipse respondet, primum fuisse approbatam more antiquarum religionum, quia per centum triginta annos antecessit religiones mendicantium, et consequenter etiam præcessit illi juri canonico, quod specialem approbationem scriptam requirit; quare ipso

usu, et sanctitatis exemplo, et generali Ecclesiæ acceptatione approbata est. Advertit autem Surius, in vita S. Brunonis, Apostolicam Sedem statim ab initio eam complexam fuisse, Brunonemque cum primum monasterium Carthusiæ fundasset, vocatum fuisse ab Urbano II, Pontifice Maximo; et cum illum apud se retinere voluisset Pontifex, scripsisse eundem Pontificem in favorem monachorum Carthusiæ, ut eis eremus illa concederetur, ut in ea secum vitæ institutum prosequerentur. *Et hæc* (inquit) *fuere primæ litteræ Romani Pontificis de Carthusiano instituto, quæ magno sunt documento, ab ipsis Carthusianæ religionis initiis eam a Sede Apostolica approbatam esse.* Deinde vero multis aliis privilegiis, ac denique in citato decreto sæpius confirmata est. Referunt denique Gerson et Major, non defuisse qui perfectionem hujus ordinis diminuere voluerint, eo quod nec plures habeat Sanctos canonizatos, nec multis miraculis fulgeant: quibus ipsi late respondent, hæc signa non esse necessaria ad perfectionem, et optimum ac sufficiens esse exemplum perfectæ sanctitatis, præsertim cum perseverantia tot annorum, in quibus rigor primus illius religionis fere in nullo diminutus est.

## V.

## AN REGULA S. HIERONYMI, AUT ALIA MONACHALIS, SUB REGULA AUGUSTINI MILITET?

1. *De eremitis una ex religionibus mendicantibus hic non agitur.* — Præter religiones monachales, de quibus hæcenus diximus, sunt aliquæ nunc in Ecclesia, quæ, licet profiteantur regulam Augustini, quæ antiquior est quam regula Benedicti, nihilominus recentiores sunt; nunc enim non agimus de religione eremitarum S. Augustini, quam non inter monachales, sed inter mendicantes ponimus. Antiqui autem monachi seu eremite S. Augustini non retinent nunc eundem statum, et vivendi modum, quem primitus habuerunt, sed vel ad mendicantium statum, qui longe post Augustinum institutus est in Ecclesia, translati fuere, de quo postea in c. 9 videbimus, vel adjunctis propriis observantiis et constitutionibus, in novos monachales ordines transierunt.

2. *Grandimontensis ordinis fundator.* — In his ergo imprimis numerari potest ordo ap-

pellatus *Grandimontensium*, qui circa annum Domini 1080, a quodam Stephano Albanensi, viro religioso, inchoatus est. Et quidam referunt<sup>1</sup> eum inchoasse sub regula S. Benedicti; alii dicunt militare sub regula S. Augustini. Mihi de eorum instituto non satis constat, neutrum enim ex dictis declarant antiquiores historiographi, ut videre licet in Vincentio, lib. 25, c. 46; et Antonino, 2 p., tit. 15, c. 21, qui aiunt Stephanum, peragratis multis eremis, et de Canonicorum, et monachorum, et Eremitarum vita, quæ imitanda sunt, memorie commendans, in Aquitania, prope Lemovicas, ad montem nemorosum, qui Muretum dicitur, primum monasterium sui ordinis ædificasse. Unde potius significat nullam specialem regulam assumpsisse, sed ex omnibus, quæ viderat et expertus fuerat, suum peculiarem vivendi modum instituisse. Unum vero referunt in illo viro specialiter notandum, scilicet, cum Muretum solus pervenisset in locum solitarium, et contemplationi aptissimum, ibi se Deo servitutum omni tempore spondidisse, et cum quodam annulo (ait Antoninus), quem de omni substantia mundi tantum habebat, semetipsum castissimum virginem desponsavit, dicens: *Ego Stephanus diabolo abrenuntio, et omnibus pompis ejus, et offero me, ac reddo Deo Patri, Filio, et Spiritui Sancto; scribensque professionem suam, posuit super caput suum, fundens orationem ad Jesum Dominum, et matrem ejus Virginem.* Qui professionis modus novus est, et singulari Spiritus Sancti instinctui attribui potest; tamen in rigore illa professio nec fuit qualis nunc est per vota solemnia, neque constituere verum religiosum, cum vota paupertatis et obedientie non haberet.

3. *Quando cœperit hic ordo esse proprie religio.* — Postea vero, cum divulgata ejus fama multi discipuli ad illum congregati fuissent, religiosum monasterium fundatum est, ac tandem annuente etiam Summo Pontifice, tacite vel expresse, propria et perfecta religio esse cœpit. Accidit autem ut post mortem Stephani, fratres S. Augustini litem moverent monachis S. Stephani, contententes locum illum Mureti ad jus suum pertinere. Illi autem remedium a Deo postulantes, et in Missa humiliter Deo supplicantes, vocem hanc audierunt, *In Grandi monte, in Grandi monte,*

<sup>1</sup> Azor, tom. 1, lib. 12, c. 21; Hieronym. Roman., p. 1, libr. 6 de Repub. Christiana, c. 9.